



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amor est fortis armatura animæ, 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

mundi nullatenus tenuissent. Amor, benignissime Domine, ex mente procedens, est triplex funiculus qui difficile rumpitur. Quia te diligere debemus ex toto corde, id est, intellectu, sine errore; tota anima, id est, voluntate, sine contradictione; & tota mente & virtute, id est, memoria, sine oblivione. Concede mihi misericordissime Domine Iesu Christe, largitor amoris potentissime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente; ut à te nunquam valeam separari, sed tecum perpetuo in perfecto amore permaneam, Amen.

C A P V T X V.

Quod amor est fortis armatura anima.

I. **H**OMO scuto & armatura munitus amoris tui, benignissime Domine Iesu Christe, in tentationis proelio stat inconcussus, invincibilis atque firmissimus: non timens, etiamsi cum ea tota acies dæmonica decertaret. Tu enim, piissime Domine Iesu, homini amorem habenti, bonus adjutor & fortis defensor assistis, quia tu amor es: & qui in tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, ut verus & fidelis amicus, qui libenter subvenit amico suo, & eum defendit, sicut scriptum est: *Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores (id est, dæmones infernales, vel homines pestilentes) disperdet.* Sed, Domine, non sic est de alia virtute: quia tu, si quis sine dilectione aliquid faciat, non sic praesto

præsto es ei, nec assistis ad adjuvandum. Dilectio vera in te Domine Iesu Christe, amator verissime, hominem invincibilem reddit. Eum enim ex omni parte protegit & defendit; quod nulla facit alia virtus, scilicet ex una parte tantum. Nam abstinentia à gula tantum defendit, pudicitia à luxuria, & ita de cæteris. Imo alia virtus sine dilectione ex una parte defendit, & ex altera succumbit, dum scilicet de ejus actu & opere oritur jactantia, & nascitur vana gloria. Ut patet in eleemosyna & jejuniis quæ nihil valent: nisi tua dilectione directa sint & protecta.

2. Et ideo diabolus hanc armaturam dilectionis invadere summopere studet. Nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet. Quia ipse in carne non premitur, ut in luxuriam dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributionem rerum terrenarum non timet, si dilectio desit, quia divitiarum subsidiis non eget. Sed valde timet in nobis dilectionem veram, qua te diligimus & proximum: & semper concordia invidet, quia dilectionem, quam tenemus in terris, ipse tenere nolens, corrumpit à cælis. Dilectio tua, Domine Iesu Christe, ab omnibus diligere dignissime, omnem tentationem repellit, non alia virtus; nam alia virtus cum peccato & informis esse potest, ut etiam morales virtutes in philosophis fuerint: ideoque non ab omni peccato, nec ab omni tentatione de-

defendunt. Sed dilectio tua omni peccato contrariatur, & omni tentationi resistit; imo nec morti, nec tormento succumbit. Vinci nequit; imo de morte obtinet victoriam & triumphum. Hanc veram dilectionem tribue mihi misericorditer, Domine Iesu Christe, tota virtus & vigor amantium, ut tecum in amore maneam in sempiternum, Amen.

C A P V T X V I.

Quod per amorem peccatum dimittitur.

I. **T**anta est vis amoris, superamande Domine Iesu Christe, quod per amorem peccata remittuntur. Non est enim peccatum, quod dilectione tua non remittatur. Non culpa, non noxa tam gravis vel enormis; quæ adveniente dilectione tua non expellatur. Non macula tam fæda, tenax, ac etiam inveterata, quæ non dilectione & amore dissolvatur. Quia tua dilectio omni culpæ mortali contrariatur, nec cum aliqua esse potest. Habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere, sicut calidum frigus expellit. Sed non sic est de alia quacunque virtute. Ut patet de beata peccatrice, quæ tot peccata habuit; & tamen dilectionis virtute omnia sunt ei dimissa, quia ab ore Veritatis dictum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Licet enim abundanter fleverit, pedes lachrymis laverit, capillis terferit, pedes osculata fuerit & unxerit: tamen istis non attribuitur remissio, sed soli dilectioni. Quia sine dilectione parum valuisent,

sent,